

reddant, in omnibus Propositionibus obiter occurrentibus tamdiu distinentur quàm in Quæstione principali. Unde fit, ut in vulgatissimis certissimisque axiomatibus, textibus & autoritate Doctorum stipandis desudent, Propositionem verò principalem & maximè controversam sæpe sine ulla probatione relinquant, aut jejunis frigidisque tantùm ratiunculis Topicis, non accuratis demonstrationibus muniant. Quod jam olim admonuere *Conradus Summenhart* in lib. de Contract. & *Thomius* Facultatis Juridicæ Lipsiensis quondam Decanus Ordinarius, in sua Oratione de Studio Juris. Utinam imitarentur illos, quos toties citant & crepant Jurisconsultos veteres, qui paucissimis sæpe lineis magnam argumentorum vim prefferunt. Ego non dubito Responso aliquo Ulpiani vel Scævolaë vix paginam occupante, nostros illos bonos Decisionarios supra 10. plagulas impleturos. Ab hoc tamen vulgi grege sejun-